

STRENA METAPHYSICA

Adprobante

AMPLISSIMO COLLEGIO PHILOSOPHICO ACADEMIÆ ABOENSIS,

✧

PRÆSIDENTE

CLARISSIMO VIRO,

HUMANISSIMO ROMANI ELOQUII
PROFESSORE,DN. CHRISTIERN
ALANDRO,*Paucis abhinc*Promovendorum Promotore exoptatissimo
in promulsidem novi Anni,

PRO MAGISTERIO

Proposita & oblata omnibus bonis

à

SAMUELE KIELLINO

Sueto Loco

Ad diem 24. Novemb. Anno redempti Orbis

MDCCLXIII.

Es

scilicet

quod ipsa

præfiscine dixerim

PRÆSES honorandissime

quem a DEO proximum

utroq; simul ac Parente orbatus

Avunculum, Patronum & Mæcenatem

to habui propensissimum & meritisimum;

ergo facilitati Tuæ colendissimæ, judico

hostimentum pari cum dare haut suppetat

s levidense licet munus, consecrare tamen

absque omnigeno hujus Strenæ Voto;

juxta, ætatem votorum omnium Summam

memoriæ monumento, *autem*, meam erigo Pyramidem

T U M

REVERENTIA DIGNISSIMO & CLARISSIMO
D O M I N O,

Mag. CHRISTIAN
WALLSTENIO

Religiosissimo Viro Pastori Ecclesiarum
Wehmoensium, ut & Gregis Dominici, one-
rosiori Præpositura Præposito, indefesso, per-
vigili & merito longe bene merito; minime
caussa minori, hunc ingenii foetum, pro fre-
quenter accepta Ejus benignitate adscriptum
testatur, qui assidua prosperitatis diutur-
næ precatione
est

PL. REV. TUÆ DIGNITATI

SUPER
STRENA INAUGURALI
CANDIDATI PHILOSOPHIÆ CLARISSIMI,

DN. SAMUELIS
KELLINI

Amici Sincerè dilecti

ABjunctum a Musis si qui te rure putarint,
Egregiè falsos hæc Tua Strena docet:
In qua sic certant rerum gravitasq; leporq;
Doctius ut nil, nil suavius esse queat.
Maçte animo, quidquid livor minitetur ini-
quus,
Olim hujus merces lausque laboris erit.

Festinus Iudeb.

TORST: RUDEEN.



N pervestiganda & impetranda Sapientiâ, infelix erit quisvis segnior Philosophus h. e. carens amore sapientiæ; DEUS autem vera sapientia est uade amor erga DEUM vera demum est Philosophia; *Φιλόσοφοι γὰρ καὶ Φιλέθεοι* erunt, annotante *Strabone*. Et hæc juxta alia probè pensitans Schegkiius gravissimè ego quidem, ait, sic judico, tum dentum fore quietas & beatas Ecclesias, si aut Philosophi boni verè deinde operam Theologie aut Theologi philosophentur

piâ. Hinc homine nihil sane indignius esse, quam non querere illam, quæ sibi apprimè deceat, sapientiam, & appositissima sit isti Creaturæ, cui duo hæc in naturâ oranium præstantissima, mens & oratio concessa sunt. Quæ propter omnes, præcipuè verò homines & raræ mentes, naturâ scire desiderant & philosophari incipiunt, præcedente admiratione, quæ sciendi quædam cupiditas perhibetur esse, ex causarum ignoratione nata. Talem enim *Contemplatiæ* præsertim *Philosophiæ* originem statuit dum orditur *Archi-Philosophus Aristoteles* Lib: 3. *Metaph:* ab insigni eoque generali documento, quod in qualibet quæstione & controversiâ oporteat prius benè dubitari i. e. pro utraque parte affirmante & negante, rationes diligenter examinando quæstionem ambiguam fieri. Jam se ita hæc res habet, cum *Aristoteles* Cap: 2. *Metaphysicorum* Libr. 4. validi instar tubicinis indicet quod sit officium Philosophi sc: *ἐστὶ τὸ φιλοσόφει, πρὸς πάντων δυνάμεων θεωρεῖν*; & *Philosophiam* Cicero *Magistram* vite definiat, ut sic habitus ex variis scientiis tanquam membris constitutus & aggregatus, mentis variæ, in quibus sese exerceat, offerens, cum vera tum verosimilia; *Ejus* cultores apes imitari, eorumque legendi pariter & excerpenti more procedere oportet, qui variis de floribus varia desumunt; ut quemadmodum varietas delectat, & *Arist:* Cap: 2. *Metaph:* Libr. 1. asserit *ὅτι καὶ φιλόμυθος ὁ φιλόσοφος, πῶς ἐστὶν* ita

merito Traditorum Virorum phantasmata animo lustrare liceat, quæ scrutari & excutere non pigebit Aristotele (valore; nam à Metaphyfico non minus quam à Poëta postulat, ut sit *εὐφαιστος* id est, qui sibi res, voces, actus, secundum verum optimè fingit, ut definit *Quint. L: 6. C: L* Fateor autem me ad has de strenâ Metaphysicâ cogitationes impulsam esse & incitatum solo iudicio tituli factò à summo præteriti seculi Polyhistorè & Poëta quodam: si quid verò valet ad cogitandum ingenium, id exergasia qualiscunque D E O Juvante dabit.

Sed primò Etymologiam *Strena* quod attinet, notum est *Strenam* Latinus patente vocabulo *ἑσπριον* munus festivum esse, quod datur die religioso omni boni gratiâ, eâque causa elegantissimè, à Græcie *ἱεροχρισπιδος*, vocatur. Ad differentiam autem aliorum, dona præsertim Calendis Januariis, non ultra eas, offerri solita *Strena* dicebantur, quasi ein *Beschent zum neuen Jahr*; quia *Strenas* ineunte anno recipere, ex *Sueton: in Caligula* Cap: 42. antiquissimi moris fuisse, constat. Est itaque *Strenarum* origo, quâ faustis ominibus, bonis verbis, latis precationibus, strenis & muneribus sese invitabant; & felicem invicem ominabantur annum ipsius auspicio & initio, à Numero significans alterum, tertiumque venturum similis commodi: veloti *strena*, quæ litera S. præposita, *Strena*; ut pro loco & *Lise* solebant antiqui dicere *sloco & slite*, ut è *Festo* memoriæ prodit *Ca. lio Curio* in *Foro Romano*. Quidam à *Strenuitate* strenas dici putant, teste *Nonio*; quòd, *Caligula* edicto, eas ante eum plenis manibus ac sinu omni turba ferebat; quarum *Strenarum* commercium, ut & vicissitudinem dandi, accipiendique *Strenas*, insuper infert *Suetonius* in *Tiber.* Cap. 34. Cum autem clientes Patronis, Cives Principibus, & amici præterea amicis primo anni incipientie die *Strenas* dare solerent, consentiente *Ovidio* 1. *Fastorum* ad *Janum*:

At cur leta tuis dicuntur verba calendis,

Et damus alternas, accipimusque preces.

Scita non erit fortè indignum, qualia dona fuerint? constat autem frequentissimè *Flores* & *Bafia* pro *Strenis* data, item *Anagrammatisim*:

esum: Epigrammata, carmina secularia, Cantilenas, Gratulationes, Barbita, Contonum Salutationes, Gratiarum actiones pro beneficiis, vota pro incolumitate, Alphabetum Christianum, Querelas de temporis & humane vitæ fuga, picturas & sigilla aurea. Quandi autem illas & triumphandi notas, nostro idiomate *Μηαὴς Βάστωρ* in usum venisſe pia conjectura erit ob primam omnium liberationem & divinum auxilium ex merâ in nos gratiâ præstitum, in, per & propter CHRISTUM JESUM, qui factus est nobis Sapiencia à DEO, & *Justitia & Sanctificatio & Redemptio* I. Cor. 1. 30. Hucusq; de primo Disquisitionis membro, nunc secundum, quod naturam *Metaphysicæ* paucis feriet, dispicere fas est. Nulla est inter Philosophos controversia, quin *Metaphysicæ* omnium præstantissima, maximè necessaria, nobilissima & utilissima, sit quoad *Existentiã*, disciplina Catholica; ab *objecto proprio*, *Ontologia*; ab *Officio supremo*, inferiorum disciplinarum domina & directrix; ab *Origine*, reliquis prior; ab *Essentiã* verè Sapiencia, scilicet abstrahens à primâ & secundâ; quia quod *Metaphysicæ* speculatur, non ad eò materiæ experte esse oportet, quam nullam in suo conceptu relationem ordinemve ad materiam necessariò includere: tractat verò simul communissima *Entis attributa*, unita & disjuncta qualia *Unum, Verum, Bonum, Necessarium, Convingens & Similia*; qui omnes universales conceptus rebus omnibus vel absolutè vel disjunctim conveniunt: Estque hæc speculatio abstractioni, re & ratione à materiâ abstraxissimæ i. e. modo considerandæ *Metaphysicæ* proprio, conformis maximè. Hanc propter *Θεολογίαν* transcendentium, de quibus ex professo agit *Metaphysicæ*, venit *Nomenclatura* ejus honoraria & κατ' ἐξοχήν: *Theologia, Sapiencia, Philosophia* &c. Hinc & jactura nè fiat in universum incomparabilis humane divinæque sapientiæ Thesauri, credere par est, studiis non tractari successu, qui voto respondeat, ni supernam lucem sequentes, *Scripturam & Naturam* respexerimus; relinquentes enim *supernaturalem Theologiam*, quæ ex *Scripturis sacris* eruitur, quæque *Philosophiam* transcendit; & *Rationalem*, quam *Ethnici Philosophi, Plato præsertim & Aristoteles* solo naturæ lumine illustrati tradiderunt, probantes, quin ad devia abripiamur nil vetat. Oppidò ne tum allucinamur? si tantummodo hemisphærium inferius naturæ considerantes,

Et ex eorum, quæ in eodem representantur, abstrahere generalissimum conceptum conemur? nam communis conceptus, competere etiam debet rebus mysticis & Enti infinito; Deus autem se ex abjectâ creaturæ conditione æstimari non patitur. Ita haud immeritò judicamus Metaphysicam demum verè divinam fore, si intuitu divinæ revelationis in *Scripturâ*, & repræsentationis in *Naturâ*, in abstractione Entis à finito & infinito, à prædicamentatibus, transcendentibus & eminentibus constituta fuerit. Quia verò altiora hæc, de quibus Metaphysica, omnium longissimè absunt à sensibus unde intelligendi sumus primordia, hinc adèò factum, ut ferè omnibus aliis sœventis, hæc ipsa demum disciplina tractari coeperit; Partim etiam *institutione & doctrinâ*, post reliquas scientias discentibus proponi postulat, cum abstractissima difficilimè intelligantur, nisi exemplis & reliquis disciplinis petitis declarata fuerint: tum & generalissima hic proponuntur præcepta, quæ sine præviâ *specialium* cognitione commodè explicari nequeunt, quia ad objectum diversum spectant; in causâ verò est non tam rerum germana indoles, quam mentis nostræ nativa imbecillitas. Aliis venit quasi *Hyperphysica, Transnaturalis, Transcendentalis*; quia Materia, circa quam hæc versatur disciplina h. e. *res Metaphysica*, transcendunt *alias omnes*, non minus *essendi nobilitate*, quam *essendi communitate*; & istud quidem è nomine Entis omnium communissimo constat; *hoc è potestate* dictatrice Metaphysices conspicuum evadit, vindicante Calovio, Quapropter in *Compendio* manet; Sapientiam de Ente Metaphysicam appellari communiter à rerum ordine; Ontologiam autem rectius ab objecto proprio; pro isto certat antiquitas, pro hoc militat rei ipsius evidentia. Porro Metaphysica olim etiam dicta est *Magia naturalis* observante eruditissimo *Morhoffio*: Magicus autem liber est adpellatus, non quasi qui de demoniacis artibus scriptus, sed qui de Magiâ naturali agit, quam quisque veneratur ut nil altius, nihilve bonarum literarum Candidatis plausibilis, utpote abditis secretentem mysteriis, arcana tradentem, ut apex & fastigium totius Philosophiæ videri possit.

MOMENT: I.

Strenæ vice, Metaphysicè, opto & do
NIHIL.



circa hæc sacra, per meditationes Philosopho di-
 gnas ostendere annuit, *sammè illum felicem esse,*
Nihil cui optare possumus; habet enim omnia.
 Scriptori igitur mihi & verba facienti de *Ni-*
bilo, quo nihil est exilius, persuasum velim, ne-
 minem nisi nihili hominem, exile & sterile esse
 hoc argumentum animum suam inducere, sub
 quo latere excelsum Sapientiam reconditam ho-
 mo diligentior deprehenderit; *Quod Nihilum,* si in se consideretur,
 nunquam potuisset fieri aliquid, nisi ita placuisset Enti primo, eidem-
 que Omnipotenti. Quocirca celebratâ distinctione inter *Nihilum priva-*
tivum & negativum, non incommodè hoc *Nihilum* relatum ad
 DEUM Opt. Max. seu primum Ens, quod creaturas per suam om-
 nipotentiam ex nihilo produxit. rectè distinguitur in *Nihilum im-*
possibile & nihilum possibile, quod aduatum est, DEO vocante ea,
que non sunt, tanquam essent, Rom; 4; v. 17. non ex DEI essentiâ,
 sed è nihilo tanquam termino à quo; undè & Apostolus dicit ad
 Hebr. 11: 3. *τίσιν νοῦμεν κατηγόρησεν τὰς αἰῶνας, ῥήματα θεῶ ἐκ τοῦ*
μη ἐκ φαινομένων καὶ βλεπόμενα γεγονέναι. Quam rem omnem,
 dum diligentî contemplatione habuisse fertur *Owenus,* nervolo epî-
 phonemate illi alluisse videtur:

N. præt O sequitur; Nihil est antiquius Omnis,
Scilicet ex Nihilo, condidit Omne DEUS.

Ut verò præsens circa Nihilum tractatio. non sit de nihilo, ordi-
 neque procedat, flagitat Methodi ratio, ut ante omnia incunabula
 ejusdem ostendere, & quicquid ad ea spectet promere non superse-
 deam, De Etymologiâ vocis *Nihil,* sic *Varro lib. 2, de L. L. Nibili,*

quod ex ne & bili: quare dicitur Nihilū, qui non hili. Similiter Fe-
 itus Nibili, qui nec bili quidem est, & iterum: Hilarum putant esse,
 quod grano saba adheret, ex quo nihil, & nihilum. Significationi
 huic favet antiquum Glossarium, illud quantitatis pretii ubi redditur
 νόσθηκος τὸ ἐντὸς. Cicero distinctius exponit *Tusc. Lib. 1.* Tam il-
 lud, quod Sisyphus versat Saxum, sudans vitendo, neque proficit bi-
 lum. Hinc cum vellent majores ostendere parvum modum rei, puta
 aqua, aut similitum, ne bilum quidem, dicebant, ostendentes volam
 manus. Ut verò admittimus Grammaticorum hanc Etymologiam,
 quā nihilum ex ne & bilum componatur; ita per bilum quicquid
 exile est intelligimus, ut nihilum nē quidem sit illud, quod maxi-
 mē exile: hæc notatio auctorem habet Varronem, apud quem *Lib. 4.*
de Lingua Latinā legas: *Fitum, quod minimum est bilum, id enim*
minimum est in vestimento. Philosophi tamen, qui securiores esse
 solent Etymologiarum Grammaticarum, nihilum dictum volunt,
 quasi non aliquid, atque haut præter causam. Alterius quod illius
 affectiones Grammaticas attinet, quæ non videntur negligendæ; à
 nihilo per Apocopen fieri nihil, & contractè nil, in ore est omni fe-
 rè populo; tria hæc uno versu complexus est *Perfusus Sat. 3.* --- *Gigni*
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Ponderatā sic voce latinā, ex doctrinā etiam Græcorum ἔδεν ex-
 pendendam, quoad variam notationem in plurimis locutionibus, quæ
 ἔδεν aut nihil ingreditur; componitur ex ἔδὲ & εἰς, quasi nē unus;
 non aliter ac synonymum μηδέν, quod est à μηδεῖς, & similem ori-
 ginationem habet; undè subinde ἔδεν, sive μηδέν dicitur, quod qui-
 dem non revera nihil est, sed quasi nihil, ob sui exilitatem censetur
 ὀλίγον, μικρόν, ἔδεν. Ita & interpretandum illud Pomponii apud
Agellium Lib. 10. Noctium Atticarum cap. 24. *Dies hic sextus, cum nihil*
edī, die quarti moriar fame. Pari quod reverenter dico ratione de *Job.*
Baptista Matth. 11: 18 quod fuerit μήτε ἐδίωκον, μήτε πίνωκον, quod non bene
 percipitur, nisi statuatur Johannem perpauci cibi & potus fuisse; nam
 revera illum & edisse & bibisse apparet *Matth. 3: 4.* Nec aliter ac-
 ceptendum, quod **CHRISTUS** dicit *Matth. 23: 19.* Διὸ τὸ μὴ ἔχον-
 τας καὶ ὁ ἐκεῖ, δεξιῶσαι ἀπ' αὐτῶν: cogitare ceteroquin aliquis
 posset, quomodo quid auferri queat ab eo, qui nihil habet; at o-
 mnia

anna salva fuerint, si ratione Phrasiologiae jam notatae, attendatur
 illud *ὅτι τὸ μὴ ἔχον* ⊙ reddendum; ab eo qui parum admodum,
 vel ferè nihil habet. Aliàs, *Nihil* illud esse dicitur, quod nullius est
 valoris; ita CHRISTUS de seipso *Job. 8: 54.* ἢ ὄξια μὲ ἔδεν
 ἐστὶν quasi dicere velit, si meipsum glorificem, nullius pretii erit ista
 venditatio. Similiter *Paulus 2. Cor. 12: 11.* prae summâ modestiâ de
 seipso ait: *εἰ καὶ ἔδεν εἰμι*, tametsi nihil sum, scil. per me ipsum. &
2. Cor. 13. 2. εἰὼν ἔχω πᾶσαν τὴν πίσιν ὥστε ὄρη μεδισάνειν, ἀγάπην
 δὲ μὴ ἔχω, ἔδεν εἰμι. Tum quod *vanum est*, eleganter quoque
nihil esse dicitur, uti *1. Cor. 1. 4.* οἶδαμεν ὅτι ἔδεν εἰδωλον ἐν τῷ
 κόσμῳ h. e. rem vanissimam esse. Sæpè etiam vox *Nihil* promiscuè
 & passim opponitur *utili*, quomodo apud *Paulum 2. Thess. 3. 11.* per
μηδὲν ἐργαζομένους intelligere convenit non illos, qui nulli omninò
 operi intenti erant, sed eos, qui nihil utile & necessarium operaban-
 tur. Notissimum est *Nihil agere*, duo notare, primò otiosum esse,
 qui sensus occurrit in *Columella* illo: *homines nihil agendo, malè agere*
discunt; & *Seneca Ep: 1.* magna vite pars elabitur malè agentibus, ma-
 xima nihil agentibus, tota aliud agentibus: Deinde rebus nihili, at-
 que futilibus negotiis distrahi significat, ita *Plaut. Merc: 2. 3.* nihil
agere exprimens, usurpat pro frustra esse. Denique modo non dis-
 simili, quâ apud Græcos, quâ apud Latinos *nihil us dixisse censetur* tan-
 quam *Nugipolyloquides* *Plautinus*, qui æquo licet sit loquacior, nihil
 tamen adferre potest, quod πρὸς ἐν ⊙ magnopere faciat, etiamsi
 plurima moliri videatur, & plenas verborum pelves profundat.

Jam proximè, post prævia hæc Philologica, accedendum est ad Philo-
 sophicam *Nibili* considerationem: peculiare est quod *Nihil*, non ra-
 rò *positivi quid* includat à parte *predicati*; idque roboratur non mo-
 do ex variis axiomatibus Philosophicis, verum etiam ex plurimis Au-
 torum Classicorum locis. Inveniuntur *venditantes* æquivalere hæc
 duo: *Nihil* atque *non Ens*, cum tamen revera interfit; unde Speci-
 minis ergo prodeunt Sequentia: 1. *Nihil est causa sui ipsius*, seu
 suæ essentiae, h. e. nulla res sibi ipsi procurat esse simpliciter. 2. *Nihil*
fit sine causa, h. e. nulla res quæ fit (sive creatura) occurrit, quin
 habeat causam efficientem. 3. *Nihil agit in seipsum*, h. e. nulla res
 obvenit, quæ agat in semetipsam, actione scilicet univoca; nam a-

tionis equivocæ alla est ratio: cætera quæ hic plurima consultiõ e-
mittuntur, ex hætenus præmissis licebit arbitrari.

Supersunt nihilo scilicet ulterioris tractationis ducenda lineamenta
quando dicit Poëta: *Nihil est ab omni parte beatum*, tã Nihil, si
notaret non ens, frustra ei beatitudo ex parte vindicaretur, cum non
entis, merè negativè, nulla profus esse possent attributa, nec valeret
hoc axioma: sed cum Nihil, idem sit atque nulla res, consideranda
non simpliciter negativè, verum distributive tum in singula generum,
tum etiam in genera singulorum, rectè tale prædicatum tã Nihilõ a-
ptatur.

Veritati nihil forsitan contentaneum magis enuncietur, quam
Nihil Nihil esse; id tamen non sic acceptandum: nullum ens esse ni-
hil, sive nullum ens, esse ens nullum: tum & quatenus est vocabu-
lum *κενὸν* non significativum, sed pro solâ voce usurpatur; nec
aliter nominari potest, quia non habet signum rei, i. e. per omnia
à parte rei & subjectivè non existit, aut existere potest: nam illud
quod non est, atque quod merè negativè se habet, quomodo existen-
tiã gaudere potest? quæsito tamen huic ex adverso per hoc parado-
xum satisfaciam: *Nihil est aliquid*; mentaliter enim per mentis o-
perationem existit, impossibile sit nihil sub formã nihili concipere posse;
quamvis in Nihilo, nihil omninò positivè aut perfecti notari queat;
mens tamen illud ipsum sibi exhibere & repræsentare potest. Non
equidem immeritò laudari quisquam quitus erit, *Nihili non dari
conceptum objectivum*; qui enim fingeretur, alius non esset quam ni-
hil: interim *Nihilum* habet conceptum formalem, atque subjectivè sic
est in intellectu, ut apprehendatur, per conceptum factum ab ipso in-
tellectu. Qui conceptus ut est factus per comparisonem *Nihili* &
tã *aliquid*; ita Nihilum menti formaliter exhibet omnimodam ne-
gationem tã *aliquid* à parte intellectus, præsupponitque realitatem
aliquam in suâ formalitate, quatenus dicit negationem omnia illius,
quod est aliquid: quod aliquid nisi daretur, & ab intellectu cogno-
sceretur, cognoscibile non foret; consequens est in ipso Nihilo, qua-
tenus ab intellectu cognoscitur, esse aliquid: atque mentem nè qui-
dem nihilum posse concipere, nisi & sit aliquid; est enim *Nihil ali-
quid ratione formalis hujus conceptus*, qui illud apprehendit in ordi-
ne

ne ad aliquid & secundum negationem ejusdem. Hinc non obscu-
rum est, quomodo *Nihilum* sit intelligibile, & si est intelligibile,
de eo quoque dubitari, disputari, demonstrari, inquiri, item affirma-
tiones & negationes formari, extra dubium est. De cætero quantum-
vis minus alienum, taceo *Modos Entis*, qui diminutæ essendi rationes,
nec Ens, Nec nihil sunt; nè negligam ea, quæ de *Nihili Strenæ* loco
oblatione dicere futurus eram. Est pro me scilicet lepidissimi ingenii
Viri *Joh. Passeratii* jure magno elogio condecoranda *Strena*, quæ mi-
râ ingeniositate cultius effertur, per limatissimum *Ejus* & *luceti planura*
de Nihilo perscriptum *Carmen*:

Janus adest, festa posunt sua donâ Calenda;
Munus abest festis quod possim offerre Calendis.
Ecce autem, paries sese dum verlat in omnes,
Invenit mea Musa Nihil; ne despicere munus;
Nam nihil est gemmis, Nihil est pretiosius auro,
Huc animum, huc igitur vultus adverte benignos
Res ea nunc canitur que nulli audita priorum.
Quod si hinc Majestas, & vis divina probatur,
Nunquid honore DEUM, nunquid dignabimur arts?
Conspectu Lucis Nihil est jucundius almae.
Vere Nihil, Nihil irriguo formosus horto,
Floridius pratæ, Zephyri clementius aura.
Nobilius Nihil est magnorum Sanguine Regum.
Armius est adamante Nihil, chalybumque metallis.
Fata Nihil sperat; Nihil equiparabile Cælo.
In bello sanctum Nihil est, Martisque tumultu.
Felix cui nihil est: (fuerant hæc vora Tibullo)
Non timet insidias: fures, incendia temnit:
Solicitas sequitur nullo sub iudice lites.
Ille ipse intrepidus qui subicit omnia plantis,
Zenon is sapiens, Nihil admiratur & optat.
Socraticique gregis fuit ista Scientia quondam.
Scire Nihil: studio cui nunc incumbitur uni:
Nec quicquam in ludo mævule didicisse Juventus;

*Ad magnas quia ducit opes, & culmen honorum:
 Porrigitur magni Nihil extra mœnia mundi.
 Diique Nihil metuunt. quid longo carmine plura
 Commemorem? virtute Nihil præstantius ipsa,
 Splendidiusque Nihil: Nihil est Jove denique majus.*

Quod reliquum, prout mihi perpetuò placebit *Augustini* illud:

*Qui scire, ut sciat, vult, non tendens ad altiorem finem, qui est
 DEUS, vanè curiosus est, DEI supereminentem Majestatem tam in
 hæc de nihilo Distribâ, cui eam unicè sacram volo; quàm in cæteris
 omnibus verbis & operibus venerabor, & cum per ipsum Nihilum li-
 ceat pervenire ad EUM, qui solus Omnia õvta, quæ extra se sunt,
 propter seipsum produxit & architectatus est õn tån per õvta; nihil
 mihi in pientissimis votis magis erit, quàm ut quamdiu EI qui solus
 est ALIQUID, placuerit hanc vitam quæ revera Nihil est, prorogare
 Sui IPSIUS gloriæ & Sempiternæ Laudi Continundæ faciat; &
 tandem dum idem Vitæ & Mortis ille Dominus in quo solo Nihil
 Nihil notari potest, manum injicere velit, ad Cœlestem Panegy-
 ein ubi quis nostram securus Nihili, se oblectet in contemplatione
 ENTIS ab omni Nihilo remotissimi, evocare dignetur!*

MOMENT: II.

Eodem pacto

OMNIA!

Æ Quis possit & Omne, universali, quod est Ens Reale & positivum, revera persistens in naturâ, non ut Ens rationis, quamvis intellectus faciat, ut sit actu universale per operationem mentis. Est quidem officium differentie individualis, coarctare omnia quæ sunt in individuo: veluti, quod H. non solum dicatur H. sed etiam hic homo, & hoc animal, & hoc corpus, & hæc substantia. Individuationis autem principium definitur, ipsa rerum natura & essentia, juxta hoc *πείραμα*: Omne quod est, eo ipso, quia est, singulare est; quia

quæ omne quod existit, habet determinatam Entitatem in se unam & proinde individuam; non enim potest res verè una vel in seipsâ dividi; vel in plures, qualis ipsa est, distribui. Et super id, quicquid in mundo est præter DEUM, productum est, à causis; ergo singulare; DEUM verò singularem qui negat, DEUM negat. *Omnia* itaque quæ existunt, in quantum existunt, *Singularia* sunt: è quo sequitur, *universale*, in quantum universale, non existere in naturâ; quamvis universales naturæ radicentur in singularibus, non exsurgentes quâ consummatum universalis statum, nisi per abstractionem mentalem in *noëmaticâ representatione*, sub *statu isto præcisivo*. Universalia enim ita à singularibus sunt inseparabilia, ut non tantum *realiter*, sed & *essentialiter* sint idem. Cæterum, ut concipiatur natura universalis, requiruntur individua plura sive *actu* sive *potentiâ*; in uno quippe non potest conservari universalis natura, utpote quod de ejus ratione sit communitas multiplicabilis.

Jam si *Omnia* in hoc universo *universalia* & *singularia* creata sint propter hominem, quod plerique statuunt; homo autem propter DEUM: quid quæso humano voto unquam æquius, quam vovere iterum *Omnia*, quorum usus legitimus, primo nostrorum Omnium Parenti concessus erat, ab Omnipotenti Conditorè, qui, in quo unice ab æterno eminenter *Omnia*, superabundanter facere potest, supra *Omnia* quæ rogemus vel cogitemus; nunc sub Divitiarum Ejus gratiæ conditione, *Omnia* Strenuè votis publicata volumus, cum acutissimo prius debito cum elogio nominato Poëta:

*Dum Scævas pro more damus, Tu, Maxime, nobis,
Princeps, Principium, & Vatis Apollo tui,*

Quid dabimus Domino, qui possidet Omnia solus?

Nam qui nos habet, hic omnia nostra tenet.

Accipe, quæ tua sunt: dareque Omnia possumus omnes:

Sed, nisi Tu dederis Omnia, Nemo dabit.

Quicquid fonte tuo venit, id Tibi reddimus Omne.

Hoc uno largi possumus esse modo.

Tu Pater es: quicquid proles tua forte peculi

Possidet, id gratâ redditur omne manu.

*Omnia jure damus: namque in Te vivimus omnes,
Mensque tuis membris unaque totaque ades:*

*Omnia jure damus: totus Tibi volvitur Orbis,
Et Cælum ac tellus omnis in ere tuo est.*

*Omnia habe, & quod in omnibus Omnia, Numen, Imago
Ejus & in nobis omnibus OMNIA eris.*

M O M E N T: III.

Eodem modo

R E M.

MEâ quoniam nonnihil referat, *Rei* rem ipsam putare, brevi per-
cunctari non desinam quam longè & variè, plurimùm hoc no-
men accipitur, quod nec mirandum, cum sit *transcendens* de O-
mni Ente dicibile. *Res* ut & *Aliquid* Cognata Entis Synonymica
sunt omnimodè Absoluta; quia utrumque inter Transcendentia nu-
meratur communiter, quatenus æquivalent Enti simpliciter, ab En-
te quanquam differant respectu quædam ex impositione vocis con-
surgente; idque ex usu Philosophorum, plus quam cotidiano, qui
pro fundamento habet vocem originationem. *Prius* dicitur à *ratus*,
ut notet Entitatem firmam & realem; vel à *reor*, ut importetur
saltem respectus ad intellectum, noteturque quod *veri* possumus, un-
de distinctio evadit inter *Rem formaliter realem*, & *Rem fundamen-
taliter* rationis. *Posterius* dicitur quasi quidditatem aliquam habens.
Hinc conspicuum est, quod *Res Græcis* *ῥήμα, πρῶτον, πρᾶγμα*,
generalem habet significationem, omne scilicet quod sub conce-
ptum cadat; nam, ut *Cajus* inquit de rerum divisione; sive *corporalia*
sive *incorporalia* comprehendit. *Corporales res* sunt, quæ verè tan-
gi possunt, ut homo, vestis: *incorporales* sunt, quæ tangi non pos-
sunt, qualia sunt ista, quæ in jure consistunt, hæreditas, usufructus,
obligationes. *Res Divina*, sacra & immolationes hostiarum. *Res*
Sacræ, quæ per Pontifices DEO consecratæ erant, ut Aræ, Tempa.
Res Sanctæ, quæ, ut inviolatæ essent, præterâ propositâ casutum erant,
ut Urbis trœnia & portæ. *Res religiosa*, loca in quæ illati mortui fue-
runt. *Publicæ*, quæ vel omnium hominum communes sunt, ut sër,

mare: vel omnium Urbis alicujus Civium, ut fora, Basilicæ &c. Ob-
serventur locutiones aliæ sub nomine *Rei*: pro *lite*: ut res agitur per
eosdem Creditores, per quos cum tu aderas, agebatur. Pro *utilita-*
te: si in rem est utrique: & rei minus temperans esse. Pro *fortuna*:
res ut nobis dant sese, ita magni atque hamiles sumus. Ut verò illuc
redeam, unde coepi, ut declarem videlicet quo jure RES quita sit
Serenam repræsentare, juxta *precationem veterum*: ut bene vel malè
Res viderent, in præsentem mihi operas dabit sequens distichon:

Nunc tua Res agitur, Rem do tibi non tamen abs Re.

Accipe Rem: nam sit res, O Amice, tulit.

Ære tuo me solvo, Tibi dum solvo, quod è Re,

Dumque bonis verbis, Rem tibi trado bonam.

Rem facias, Res salva tibi sit, Resque secunda

Sint Tibi, & in lautâ Re modo semper agas.

Tu magnam nobis meditando restituas Rem.

Et pro Re nata Res gere, finge, tuas.

Sic, quod ego nequeo, pro Te Res ipsa loquetur.

Tu, quas solus habes, Res tibi habeto tuas.

M O M E N T: IV.

Eadem ratione

CHIMÆRAS.

IN examine hujus quæstionis, videbimus quod voce *Eatis* sumtâ
restrictè & specialiter, *Chimæra* non *Eus* dicatur, h. e. non sit ali-
quid reale & positivum: *latissimè* autem, est *Eus*, sed fictum sive *Eus*
rationis; & fortassis nec veritati injurius, nec ab istâ quâ proce-
nar assertione diversus fuero, intelligentem scilicet oportere specu-
lari phantasmata, si concessero *Chimæram* sibi jam *Synecdochem* induere
Speciei pro Genere, addeò ut accipi hîc possit, pro *peritiâ* quavis *fatu-*
râ, quæ præsertim orationi votivæ dignitatem suppeditat, per pictu-
ras sive verborum Sententiarumque lumina, Rhetoribus vocata *Tropos*
& *Schemata*. Mittimus hâc vice quæ fabularia sunt; constat enim
de figmento *Chimæra* zformis monstrî ignivomi, quod in vulgum
datum est, *Homero* animal esse indomabile, inexpugnabile, neque

humano, sed divino genere ortum, quod describit Hesiod. in Theog.
his Ligatis:

*Huic tria sunt Capita, & fertur primum esse Leonis
Pulchri oculi, caprag, simul foris que draconis:
Ante Leo, retroque draco, mediumque capella est;
Pegasus hanc vicit, & magnus Bellerophontes.*

Georgius Nazianzenus in vitâ Basilii magni, allegorico sensu *Chimæram* exponit de 3bus Rhetorice partibus: Chimæra, inquit, monstrum ex tribus compositum, anteriore parte, Leo est, posteriore draco, media capra: sic item Rhetorica in 3a divisa est Hypothesium Genera, vel causarum Domicilia: *Judiciale, Deliberativum & Demonstrativum*. Videtur autem Nazianzenus Judiciale Genus, quia fit acre, in exasperando auditores & Judicem in iram adversus adversarium, comparare *Leoni*, & Deliberativum *Draconi*, quia sit varium ac multarum conversionum, *Capre* verò Demonstrativum quia lasciviat; *Oratoris enim est*, posse, quod modo laudaverat, firmis exemplo rationibus vituperare; quia Argumenta ex proprio loco seu armamentario desumpta si non suffecerint, possunt è capia vel promtuaris reliquorum extra noxam mutuari.

M O M E N T: V.

Eodem jure:

UNUM, VERUM, BONUM.

Voto plè salutare eos, ad quos accedimus, non tantum civilitatis est & humanitatis; verum etiam DEI præceptum *Matth. 10.* ubi JESUS præcipit Discipulis suis, quos ad prædicandum Evangelium emisit, ut intrantes domum aliquam, salutarent eam familiam. & optima quæque illi precarentur, dicentes: *Pax huic domui*. Hebræi enim cum omnia fausta precari volebant, *pacem* alicui volebant, ut nos *Salutem* pro felicissimis; quia *pacis* nomine omnem felicitatem complectebantur, & revera *pax* cum DEO in conscientia, & *pax* in terris cum hominibus, maxima sunt & præstantissima DEI dona. Si quod omen aut prodigium offerretur, ut boni aliquid portenderet, optabant veteres his verbis: *Bonum sit! bene sit! bene tibi sit! bene ambulato! bene valeto!* his dicebant, quibus fausta omnia precabantur.

erantur: in *sternutationibus* Græci adhibebant hanc formulam: Ζεύς ἰσῶν Jupiter Ierva. Conscende, quod benè verat, græcè *Ζυμβαιε ἀγαθῆ τύχη*, formula precatiois ante navis ingressum usurpata à nautis invitantibus vectores, aut scandentes excipientibus. *Εὐ δειπύσειαι!* εὐ *Ζηστιάς!* fausta apprecatio *cœnanti* facta. Entis affectiones sunt *Unum, Verum, Bonum*: omne quod est, unitatem suam habet quodque in suo genere, adeò ut sit unum unitate determinatum sive sit è multis, sive non possit esse è multis; quo unitatis attributo Ens denominatur *quidditivè* incommunicabile, & indivisum *Entitivè*; ergo absolutè non est aliquid præter unum, cætera quæ esse videntur esse *εἰδωλα* certum est ut ait Poëta i. e. figmenta. Sic omne quod est, in essentiâ suâ verum est, & *omne verum unum*, & vice versa, *omne unum verum*; quia veritas tamen una tantum est quamvis sit multiplex. Rectè ergò, qui hæc optat, videtur unum indivisum indivisibile & simplicissimum, DEUM scilicet sicuti apprecari, quo omne bonum continetur: Nam propter quod unum quodq; tale, & illud magis, ergò id erit verissimum, quod posterioribus caussa est, ut sint vera: quare ut unumquodq; habet esse, ita & verum est; proprietatis igitur Entis est veritas, hinc quod est summe Ens, ut Deus, est etiam summè verum. Aliàs, concordat ubiq; *veritas*, sed discordat ex adverso *falsitas*, sicut in falsis testibus CHRISTI & honestæ Matronæ Susannæ conspicitur: nos verò ducat Spiritus veritatis, in omni veritate, ut per veritatem salvemur!

Sed Spissigradissimus fortè videri possum, & *Ægyptiorum Harpocrates*, admovendum ori digitum monce.

Fateor ad hoc opusculum decenti cunctatione complanandum celeritas mihi impedimento fuit, & scribendum erat rudiore stilo, ut in mentem & calamum veniret. Præbeo interim finis loco excursum de *usu* Metaphysicæ in vitâ civili, ut multum ibi præstent & prosint prudenti Viro instrumenta & dogmata metaphysica: quia quemadmodum *Metaphysica Regina* est *Scientiarum*, ita facilis discat quis regnare suis scitis: siquidem ad Statum Rei publicæ pacatum & non turbatum, nec non rationem administrandi imperia & regendi populos, theoreticarum disciplinarum cognitio quadantenus necessaria, juxta practicæ Philosophiæ & historiarum; ut non injuriâ *Vegetius*: neminem plus quam principem scire oportere, cujus doctrina omnibus prodesse potest subditis; ergo præter Virtutes *morales* etiam *intellectuales* principi maximè sunt

sunt necessariae, consistentes *Speculativae*: intelligentiâ, Scientiâ, Sapientiâ, & *practicas*: prudentiâ & Acte. Porro, ut Prudentia dux est, lex, lex & fax virtutum, honestarumque actionum, sic Metaphysica theoreticarum Scientiarum, Scientia illa universalis, Sed rem propinquius acu tangit, Philosophiam assimilans arbori, in quâ radix sit Metaphysica, Truncus Physica, rami, omnes aliae Scientiæ: ut autem ramis decerpantur fructus non de Trunco; ita praxis petenda ex Philosophiâ Morali, cujus theoriâ præbet transcendentalis. De cætero, quàm non carere possit Philosophia Practica metaphysicâ notitiâ, & quantopere illa quoq; conducat ad Politicos cumprimis perfectionem, nemini obscurum esse potest, qui utrumq; perpenderit probe, adeoq; operosâ diductione minimè opus est. Hinc credendum scilicet *Metaphysicam* non frustra adpellari *Reginam Scientiarum*, quæ ut *abstrahere* docet, ita discamus tam nosmet, quàm alios à malo & vitiis abstrahere; ut nihil concrefcere sinamus vitiorum, curantes quomodo omnes ex *præcepto Pythagoræ* simus *Uni, Veri, Boni* in *ne* tranquillissimâ i. e. pacatissimâ vivendi modo; ut unum corpus, & unus Spiritus, sicut & vocati sumus in unâ spe vocationis nostræ; unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus DEUS & Pater Omnium, qui est Super Omnes, & per omnia, & in Omnibus nobis, IPSI gloria in Ecclesiâ, & in CHRISTO JESU in omnes generationes seculi seculorum,

A M E N.

